



# The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **TRUXILLENSIS IN HONDURIA**\* IN HONDURIA  
NOVA CONDITUR DIOECESIS

**NOMINE TRUXILLENSIS IN HONDURIA** Pro Supremi Ecclesiae Pastoris munere de omnium Christifidelium spirituali bono atque regimine solliciti, accipiemad esse sententiam putamus Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, qui Congregationi pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide praeasunt, de nova videlicet in Honduria finibus constituenda dioecesi, quibusdam locis ab Ecclesia de Sancto Petro Sula detractis, auditis antea eorum quorum interest votis. Summa igitur Apostolica Nostra potestate a dioecesi de Sancto Petro Sula distrahimus civiles districtus, qui vulgo a Colón » et « Gracias a Dios » nuncupantur, ex iisque novam condimus dioecesim Truxillensem in Honduria, appellandam, quam metropolitanae Sedi Tegucigalpensi subicimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide obnoxiam facimus, cuius limites iidem erunt ac duorum civilium districtuum, quos memoravimus. Praeterea iubemus Episcopi cathedram haberi in principe istius novae dioecesis templo, quod in urbe « Trujillo » exstat ; cetera secundum canonicas leges volumus temperari. Haec quae praescripsimus perficienda curabit Venerabilis Frater Franciscus De Nittis, Archiepiscopus titulo Tunetensis atque in Honduria nuntius Apostolicus, vel ab eo delegatus sacerdos, factis nempe necessariis facultatibus. Re autem acta, documenta exarentur sincerisque exemplis ad Congregationem, quam diximus, mittantur. Hanc denique Constitutionem Nostram nunc et in posterum efficacem esse foreque volumus, contrariis quibuslibet non obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo septimo, Pontificatus Nostri nono.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI

*a publicis Ecclesiae negotiis*

IOSEPHUS Card. TOMKO

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*  
Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

\*A.A.S., vol. LXXIX (1987), n. 11, pp. 1359-1360

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana